

eorum idem usurpant: nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere. Augendae tamen multitudini consulitur. Nam et necare quemquam ex agnatis, nefas, animasque, proelio aut suppliciis peremtorum, aeternas putant. Hinc generandi amor, et moriendi contemptus. Corpora condere, quam cremare, e more Aegyptio: eademque cura, et de infernis persuasio. Coelestium contra. Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur: Judaei mente sola, unumque Numen intelligunt: profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud et aeternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt. Non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor. Sed, quia Sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea templo reperta: Liberum patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis: quippe Liber festos laetosque ritus posuit; Judaeorum mos absurdus sordidusque.

VI. Terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur; a meridie Aegyptus objacet; ab occasu Phoenices et mare; septentrionem a latere Syriae longe prospectant. Corpora hominum salubria, et ferentia laborum: rari imbres, uber solum. Exuberant fruges nostrum ad morem: praeterque eas balsamum et palmae. Palmetis proceritas et decor. Balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venae; fragmine lapidis aut testa aperiuntur: humor in usu medentium est. Praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Iordanem alit funditque. Nec Iordanes pelago accipitur; sed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur. Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces aut